



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XII. Qvomodo Ipse Dvx seu reliqui egamiam abdicauerunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

ad oportuna loca terræ, pastus gratia, deducere iussit; neq; ante eis vehebantur, quam etiam consumatis omnibus de terra fuerant iam exituri. Quos certe ita receperunt alteratos, ut præ crassitudine vix cuiq; suus cognosceretur. Milites ergo qui cum duce venerant catechizati, statim & baptizati sunt; multiq; ex eis qui ipsius Christiani fuerant, sed ex consortio incredulorum metas Christianitatis excesserant, ex quorum numero ducem etiam ipsum fuisse constat, per confessionem & penitentiam ecclesiæ confirmati sunt; promittentes deinceps omnia quæ Christiano inimica sunt nomini, respuere, & ea quæ sunt apta sectari,

QVOMODO IPSE DVX  
*seu reliqui egamiam abdicauerunt.*

\* polygamiam.

**D**VX etiam, Scio, inquit, Christianæ sanctitati esse contrarium plures Vxores vel concubinas habere, simulq; tactis sanctorum reliquiis, sicut Christianis iurare mos est, coram populo, aspiciente Episcopo, viginti quatuor concubinas, quas ritu gentili suæ legitimæ vxori superduxerat, publice abiuravit.

XII.

Quod videntes alij complures, eiusdem enormitatis præsumptores, abiurata & ipsi coniugij pluralitate, vni thoro, exenplo ducis, fidem seruaturus se polliciti sunt. Creuit ergo Ecclesia in loco illo, & confortata est in timore domini ambulans, & spiritu sancto replebatur, Episcopo & clericis instantibus & Euangelizantibus regnum Dei.

Exstru-



Exstructa quoque illic basilica & sanctificato altari & sanctuario, collatisque illuc per ducem prædijs ac dote, in sustentationem Sacerdotis, pater liberalissimus sicut omnibus in terra illa Ecclesijs faciebat, libros contulit, & indumenta Sacerdotalia, calicem quoque argenteum cum ceteris vtenfilibus, deque suis Sacerdotibus vnum, qui populum posset instruere, eidem præfecit Ecclesiæ.

DE MATRONA METEN.  
*te & mortua die Dominica.*

XIII.



VM hæc omnia ritè peracta fuissent, & non solum de ciuitate, verum etiam de rure populus ad Ecclesiam omni die conuenirent, & diem Dominicam aliasq; solennitates deuotè obseruarent; vidua quædam in rure non longè à ciuitate CAMINENSI, diues ac nobilis valde, Christiana religione contempta, patrios Deos se colere nullaque occasione vanitatis nouæ, à patrum suorum veteri traditione declinare se velle dicebat. Erat autem multam habens familiam, & non parua auctoritatis matrona, strenuè regens domû suam: & quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viueret, in vsum satellitij sui triginta equos cum ascensionibus suis habere consueuerat.

Fortitudo enim & potentia nobilium & capitaneorum, secundum copiam vel numerum æstimari solet caballorum. Fortis, inquiunt, & potens, ac diues est ille, qui tot vel tot potest habere caballos, sicut audito numero caballorû numerus militum intelligitur. Nullus enim militum præter vnum caballum illic habere consueuit.

Sunt autem magni & fortes equi terræ illius, & vnus quisq;